



# **Philadelphi Irenaei Assertio animadversionum in Ludiomaei Colvini Papam Ultrajectinum, opposita Christiani Alethocriti Stricturis**

<https://hdl.handle.net/1874/20629>

UB 786.

~~274~~

269.

PHILADELPHI IRENÆI  
Assertio animadversionum in  
LUDIOMÆI COLVINI  
Papam Ultrajectinum.  
*OPPOSITA*  
CHRISTIANI ALETHOCRITI  
Stricturis.

---

IRENOPOLI,

---

Sumptibus EUSTACHII THEOPHILI



Clarissimo ac Celeberrimo

V I R O

D. REYNERO VOGELSANGIO,

Verbi Divini Ministro & Sacrosanctæ Theologiæ Professori eximio in Ecclesiâ & Illustri Gymnasio Silva-ducensi, veritatis, quæ secundum pietatem est, acerrimo defensori.

S. P. D.

PHILADELPHUS IRENÆUS.

**E**lephantis fœtum in utero matris per biennium gestari, eoque demum elapso lucem adspicere, quondam Aristotelis philosophorum principis opinio fuit, si fides Plinio sit adhibenda. Hanc elephantici fœtus naturam ac similitudinem referre Christiani Alethocriti stricturas in Irenæi animadversiones intuitu primo mihi persuadebam: cum enim biennium fere præterisset, ex quo divulgatæ fuerant in Ludiomæi Colvini papam Ultrajectinum animadversiones, neque quicquam iis reponeretur, ipsam ferme per dideram ex animo rei memoriam; sed abhinc diebus aliquot præter omnem expectationem oblati mihi per typographum Alethocriti stricturis,

Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Ut primum enim oculis lustrassem libelli titulum, elephantem prodisse credidi, non modo nascendi specie, sed & formâ terribilem; nec dubitavi, quin hujus animalis validissimi solâ promuscide correptus, ac in altum elatus, certâ præcipitique ruinâ subverterer: jamque magno huic prætori Christiano de viâ recedere, supplicesque tendere manus, & submissis fascibus

meum agnoscens errorem, victorem ac triumphatorem augustum eum salutare paratus fuisset; si non animum meum in tempore stimulasset desiderium intus & in cute perspiciendi primipilarem hunc regiminis ecclesiastici Molinæani præconem. nec mora; pagellas aliquot raptim evolvo; statimque metus omnis evanuit, & Panicum plane terrorem fuisse didici: enimvero non elephantis pullum, sed ridiculum solummodo murem prodiisse vidi. Quot non illic offendi vere papyraceas rationes! quot non inusitata dogmata? tam infaustis profecto tamque stupidis illæ stricturæ scatent argumentis; ut cerebrum, quod ea dictavit, helleboro, manus quæ scripsit, scuticâ vel plagis Orbilii sit emendanda. Omnem vero superat impudentiam, quod tibi, vir celeberrime, velit adjudicatas Irenæi animadversiones. Vidit scilicet pius ille Molinæi discipulus pariter ac patronus, suum præceptorem velut Absyrthum alterum Medææ fratrem membratim discerptum, & ab Irenæo circumquaque disjectum; nec id ab alio quam a Vogel sangio perpetrari posse credidit: unde nec alium in finem collegisse videtur extinctos ac divulsos Molinæanæ potestatis artus, quam ut tu, vir celeberrime, miseratione ductus, ejus fata lugens, teque profiteris ejus adversarium, neque quicquam aliud nunc exspectat aut optat lessum brevi canturus Alethocritus, quam ut idem Molinæo saltem in morte solatium offeras, quod interemto Lauso quondam Aneas apud Virgilium, inquit;

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem

Æneæ magni dextra cadis.

Sed frustra: non enim ejus momenti fuerunt hætenus in medium allata, ut iram viri magni mererentur, qui solos solet phœnices & aquilas deplumare, cæteras contemnit imbelles & obscuras aves, easque suis relinquit Irenæis. Vale.

PHILADELPHI IRENÆI

Affertio animadversionum in

LUDIOMÆI COLVINI

Papam Ultrajectinum.

*Opposita*

CHRISTIANI ALETHOCRITI  
stricturis.

**N**Ullam in hoc depravato morum laxitate seculo reperiri satis deploratam, stolidam, absurdam, & omni rationum præsidio destitutam opinionem, quamque nemo pro meritis satis unquam exagitaverit, quæ non suos tandem patronos inveniat, improbos ac generosos errorum defensores, nuperime testatum fecit ingentis scilicet animi candidique pectoris auctor per antiphrasin *Christianus Alethocritus*. Prodierrat ante biennium, & quod excurrit, Ludiomæi Colvini Papa Ultrajectinus; huic breves ac succinctas, dum aliis occupatus eram, opposueram animadversiones, non maledictis impletas aut cynico latratu, sed post allata rationum pondera solummodo jocos inermibus subinde viri, cætera non indocti, dementiam pariter & his in controversiis impotentiam notantes. Eas vero simulatque perlegisset hic noster Alethocritus, irâ mistoque insaniam luctu sic exarsisse videtur, & exarsuantem inde bilem eum in modum per viscera dissipasse, ut ex eo tempore fere per biennium febricitanti similis nec fel per venas ac sanguinem dispersum ullis colligere medicamentis, nec quicquam prorsus reponere potuerit, nimiam vexatus animi & corporis intemperie. nempe

— *Calido sub pectore mascula bilis*

*Intumuit, quam non exstinxerit urna cicuta.*

donec tandem opportunè Regneri Vogelsangii acerrimi veritatis & orthodoxiæ propugnatoris nomen occurreret; cujus conspectu cujusque memoriâ non minus quam haustâ potionem medicâ turbatis Alethocriti visceribus, & ultiis, tortis ac convulsis intestinis, eam sibi sumsit in ventre confidentiam, ut omni quidem bile, quantum potuit, sese

nunc exoneraverit, in posterum, uti spero, modestiorem instituturus Molinæi defensionem, quæ minus sonet de nare caninâ; sed eâdem interim operâ; ceu turdus, sibi malum cacaverit dignam futilissimis suis argumentis & infortunatâ opellâ responsionem laturus.

In antecessum autem Latinitatem meam paucis adstruendam duxi, cum eam censorio supercilio perstringat Alethocritus, & censuram approbet in præfatione Molinæus, in hæc verba prorumpens; *subinde Prisciano colaphum infringit, ut notat Alethocritus fieri ab Irenæo in ipso sui libri vestibulo, ut cum dicit; Molinæus rotatur paratragædiatur; neque enim credo illud dici aut passive aut deponenter.* Sed age primum audiamus notatos ab Alethocrito solæcismos. Is pag. 14. censet vitium esse syntacticū, non typographicum, quod opusculi mei titulus pro *animadversiones* ferat *animadversionis*: quia scilicet pag. 3. idem occurrit in tituli repetitione: quasi vero plane nescius esset antagonista meus, ex impressione primâ tituli per typographos repeti secundâ, nec id auctori posse imputari; quod si nihilominus existimet id se viris literatis posse persuadere, non ægre feram. Verum aliud est; scripseram ego; *postquam diu multumque ad Isidori locum commentatus fuisset.* Ad hæc ille; *nescio, inquit, an hic error fuit typographi;* in verbis nempe *postquam diu multumque commentatus fuisset.* Sed ut verum fatear, nec typographicum nec syntacticum in oratione meâ vitium agnosco, neque Lynceum aut Argum centoculum id visurum puto: proinde plane nescio, quid sibi velint hæc Alethocriti verba; *nescio an hic error fuit typographi;* nisi de proprio id errore expresserit, cum dicere debuisset juxta grammaticos; *nescio an hic error fuerit typographi*: norunt enim Latinæ linguæ rudes fere tyrones, in ejusmodi constructionibus non in indicativo, sed potentiali vel subjunctivo modo verbum adhibendum esse. Et hæc a Molinæi discipulo reprehensa comperi; ne vero minus didicisse videretur humaniores literas præceptor quam discipulus; in præfatione Molinæus auctarii loco superaddit, se non credere, verbum rotari, paratragædiari passivè vel deponenter dici, exemplo subjuncto; *pavonem nempe non rotari, sed se rotare.* Et eatenus quidem ex Calepino exemplum hoc suggerente sapere voluit; sed utinam omnia rite perlegisset, quæ de verbo rotare ibidem adducuntur; animadvertisset, illud & passivè probatis scriptoribus usitatum esse, præsertim in participio: omnemque ulterius dubitandi materiam eripit ille; qui in Calepino omisus est, Tragici Senecæ locus: sic enim ille in Troade versu 649.

*Poteris nefanda deditum mater neci*

*Videre?*

Videre? poteris celsa per fastigia

Misum rotari?

Verbum autem *paratragædiari* quod attinet, in Plauto quidem solummodo *paratragædio* reperitur; eximiis nihilominus ætatis nostræ viris, iisque literatissimis etiam id usurpatum esse passive fidem faciunt Clarissimus D. Nicolaus Arnoldi in disput. theol. de argumentis Pontificior. pro traditionibus thesi 15. Celeberrimus D. Vogelfangius disput. theol. primâ continente vindicias contra criminat. &c. th. 6. quos non temere vel absque ratione eo usos fuisse vocabulo credibile est, quorumque vestigia premere non erubescerem. Sed ne solis autoritatibus hodiernis pugnare videar, paucis ab ipso fonte repetam vocem *paratragædio*. Eam origine Græcam esse notum est, & à Plauto civitate Romanâ donatam, nec enim uspiam alibi eam me legisse memini. Derivatur autem à Græco *παρτραγωδεῖν*, idem significante quod *επιτραγωδεῖν*, *ἐπιτραγωδεῖν*, *τραγωδεῖν*, id est, *exaggerare*. cæterum non active tantum sed & passive hæc a Græcis adhibentur, & denotant in terrorem in admirationem verti; sic apud Polybium legimus *ἐπιτροπῆς ἐπιτραγωδεῖται*, id est, *huc usque in admirationem in terrorem vertitur*. uti tufius videre est apud Budæum in commentar. Græcæ linguæ pag. mihi 440. & Stephanum in thesauro linguæ Græcæ in voce *τραγωδία* pag. 1353. Quod si igitur hæc Græcis in passivo sint usitata; nullam video repugnare rationem, cur non integrum foret Latine loquentibus uti voce *paratragædio* passivè citra barbariei notam, postquam in Romanam civitatem assumpta est. In nunc cum tuo defensore, Ludiomæ, & credo tuum in dubitationem commuta Cartesianam: id enim si feceris, super iis, quæ de verbis *rotari paratragædiari* hæctenus verè te scripsisse credidisti, propter adductas a me rationes tuum cohibebis assensum, tuaque continuo tanquam falsa rejicies, uti id dilucide docet vir subtilissimus Johannes de Bruyn disput. philos. de naturali Dei cognitione 15. thes. 1.

Verum ne nimium de verbis sollicitus sim, rem ipsam aggrediar. In animadversionibus pag. 5. 6. plurimas exhibueram differentias, e quibus constare posset, celeberrimum Voetium nolle mysterium iniquitatis redivivum, nihilque minus meditari quam imperium in collegas suos, in principes & magistratus, ad exemplum papæ Romani. Quid adhæc homo meus pag. 8. ? *Non revocat*, inquit, *Molinaus*, *quod dixit*, nempe. 1. *mysterium iniquitatis per jurisdictionem perperam dictam ecclesiasticam introductum*. 2. *Hæc larvâ & rectorio papam obtegit potestatem potestati magistratus consimilem atque ejusdem naturæ* — 3. *per quam potestatem*

*statem vocationem in sacris sibi adjudicavit, a qua non datur provocatio ad potestatem secularem; non quaero an clarissimus Voetius mediteretur ejusmodi potestatem in collegas & gentiles suos, sed certum est papam per eam potestatem sibi edificasse imperium in reges & populos. Quibus respondeo, nunquam me negasse, papam Romanum per suam jurisdictionem & potestatem ecclesiasticam introduxisse mysterium iniquitatis, (eo quod hoc me non tangeret) multoque minus eo adigere voluisse nolentem Molinæum, ut hæc revocaret; debellet, opprimat ille suis argumentis pontificios, clarissimi parentis & avunculi vestigiis insistens, id Voetio, id Vogelfangio cæterisque reformatæ religionis antistitibus erit gratissimum, neque meritis penes eos carebit laudibus & honoribus: at Voetium in ecclesiam Christi purè & inculpate reformatam introducere jurisdictionem paria in plerisque cum papali facientem, (quod Molinæus asserere non erubuit, licet noster hic videri nolit illud inquirere,) tunc temporis negavi, ut turpe mendacium, docuique toto cælo distare potestatem papalem, & (ut Molinæus loqui amabat) Voetianam, adductâ longâ differentiarum serie, veluti, pontificios proprie dictam civilem exercere jurisdictionem, quæ soli jure merito magistratui competit, habere carceres, lictores, apparitores, pœnas infligere corporales. Voetium contra solis spiritualibus armis uti, non corporali coercitione mortales ad fidem ad religionem impellere, non jurisdictione civili, quæ conjunctum habet merum & mixtum imperium, non armatâ manu vel potestate carnaliter & externe coercivâ, sed gladio spiritus, id est, verbo Dei & censuris conscientiæ applicatis coercere ac convincere deviantes a veritatis tramite mortales: quibus cum nihil respondeat Alethocritus, sed veras eas esse differentias tacite fateatur, idque doceat experientia; existimo Voetii causam per Romani papæ factum nec stare nec cadere, cujus artes nunquam didicit, cujusque jurisdictionem reformatis nunquam vindicavit ecclesiis, proinde frustra Molinæum vel defensorem ejus metuere similes Voetianæ potestatis effectus, quibus imperium in reges & populos edificari posset.*

*Quod autem adeo adversus ecclesiasticam reformatorum potestatem exsurgant Molinæus & Alethocritus, eamque ultra Sauromatas & glaciale oceanum fugere jubeant, non aliam animadverto rationem, quam quod excussum desiderant jugum Christi humeris ipsorum grave, & animitus sublatam cupiunt excommunicationem & ecclesiasticas censuras ex illâ potestate profluentes; hinc solummodo illæ lacrimæ, hinc omnes illi nascuntur æstus turbulenti. Unde & cum alia vix levi digito*



digito tangat defensor, in excommunicationem tamen, eximii nempe doctoris sui Molinæi mores & instituta secutus, invehitur amplissime, sed tam mirificis tam stupidis tamque frigidis argumentis, ut ipsa etiam torrida regio glaciem sentiret, & quod ante omnia mireris, eâ obscuritate ac intelligendi difficultate producit illa quæ confusâ & indigestâ mente concepit. ut ordinem operâ deditâ contempsisse, non neglexisse videatur, & dubitem admodum, num se ipsum in scriptis suis satis intelligat. Oedipo certo opus est conjectore, qui Sphingi interpretis fuit, ad eruendam e latebris Alethocriti mentem: verum enim vero ne quid oppido intactum relinquam, conjecturis, quantum potero, sensum ipsius assequi conabor. Prostratam Molinæus speraverat excommunicationem hoc argumento; si excommunicatio esset æque divina ac præceptum *non occides* æque fori esset humani ac illud. cui regeffi, præceptum illud *non occides* quatenus decalogo continetur, non esse fori civilis sed mere divini, cum & homicidii cogitatio illic prohibeatur, quæ tamen in foro soli impunis est, juxta vulgatum illud; cogitationis pœnam nemo patitur. idem vero præceptum fori civilis esse dixi quoad pœnam, quam naturæ jus suasit introducendam, quamque Deus, constituit in legibus politicis. Sed, inquit adversarius pag. 8. inde non conficitur, homicidii reum plecti morte non debere (addendam enim puto particulam *non* omissam, quod libens typographis imputo, ut suus verbis constet sensus) nisi prius lex Dei de homicida morte asficiendo commentariis Reipublicæ adscripta fuerit. Imo vero inquam, mortis supplicio non poterit homicida coerceri, nisi magistratus illam Dei legem in Republicâ suâ civili lege confirmaverit & approbaverit: namque aut interficeretur homicida ab homine privato; quod prohibitum, cum soli magistratui data sit gladii potestas seu animadvertendi in facinorosos. aut puniretur a magistratu, qui eò ipso quo supplicium decernit, illam Dei legem confirmat, abrogatis anterioribus constitutionibus cum lege Dei ac naturæ pugnantibus, etiamsi certum sit, magistratum, quamdiu legem Dei de homicidâ e medio tollendo non approbat & executioni mandat, summopere Deum offendere.

Sed tremendam hic antagonista meus difficultatem movet, vir scilicet in excogitandis argumentorum sedibus ad invidiam usque felix, & voce gestuque ad terrorem composito, ac si vel truculentâ erecti oculi acie confecturus esset Irenæum, horribili tremulaq; voce intonat; *solvat*, inquit, *qui potest hunc nodum*; quem tamen Gordium non esse puto, ad cujus solutionem opus esset Alexandri magni gladio: quarit scilicet Ale-

„thocritus, cur par ratio non debeat esse excommunicationis atque pœ-  
 „næ homicidii? cur sententia de excommunicando impio plus præro-  
 „gativæ habitura sit, quam lex Dei de homicidâ tollendo? & cur hæc  
 „per se non sit valida ad homicidam supplicio afficiendum, nisi demum  
 „postquam hæc lex facta est civilis? : at illa (nempe excommunicatio)  
 „non etiam debeat de novo sanciri a magistratu, saltem prius probari  
 „& rata haberi quam impius actu a sacræ cœnæ usu removeatur? .  
 „Sed frustra quærit, cum jam in animadversionibus sufficientem reddi-  
 „derim differentiæ rationem, nempe Deum magistratui commisisse jus  
 „gladii? proinde, si factum non jus spectemus, in ejus esse potestate,  
 „num ita punire velit homicidam uti Deus præcepit; etiamsi peccet non  
 „adimplens Dei mandatum: & eatenus ad infligendam pœnam corpo-  
 „ralem desideratur magistratus voluntas & decretum. Excommunica-  
 „tio vero non magistratui, sed ecclesiæ pastoribus est demandata, pro-  
 „inde necessaria non est magistratus approbatio, sed ut paulo ante dixi de  
 „magistratu, quoad factum in ejus arbitrio esse num morte punire velit  
 „homicidam; ita quoque ex parilitatis ratione in pastorum erit potesta-  
 „te, idque defacto, num velint improbos ejicere, & admittere ac reci-  
 „pere in ecclesiâ Dei præceptum de excommunicatione; licet illud non  
 „recipientes Deum procul dubio gravissimè lædant & iram ejus in se  
 „concitent.

Amplius instat Suffenus & munificentissimum se præstat, nunc tur-  
 get, animus nunc Æolus inflat, censet enim, etiamsi hæc admitteretur  
 inter præceptum de non occidendo & excommunicationem differen-  
 „tia, parum tamen ponderis eam allaturam esse. Quid ita? Quia, in-  
 „quit, eo tempore, quo Deus legem hanc publicavit, nulla erat ejus-  
 „modi distinctio fori, sed unâ eâdemque jurisdictione sacerdotes &  
 „principes populi regebant unum corpus seu ecclesiæ seu reipublicæ.  
 Hoc si de regimine gentis Judaicæ dictum voluisset, quatenus obtinuit  
 eo seculo quo natus ac passus est Salvator noster, lubens id ei concessis-  
 sem, eo quod omnibus compertum sit, tum temporis ambitione popu-  
 li & sacerdotum omnia fere turbata fuisse in ecclesiâ ac republicâ sacer-  
 dotii magistratusque jura, neque quemquam intra officii sui limites  
 substituisse, sic ut in exemplum vel legem agendi trahi nequeat quic-  
 quid eo tempore gestum est. At cum id nunc asserat de primâ Judæo-  
 rum Republicâ, prout eam ipse Deus instituit, falsissimum id esse dico,  
 ad quod probandum nullas etiam rationes adduxit, sed simpliciter vel-  
 ut Theologiæ dictator affirmat, & Reipublicæ Judaicæ affingit, quod

pari jure mihi negare licet ut levissimum figmentum; neque crediderim, inquam eum adeo plausibilia producturum argumenta, quibus illud æquo persuadeat lectori, etiamsi cœlum terræ misceat.

Porro censueram, excommunicationem non esse pœnam civilem, eo quod nec corpus affligat, nec bona diminuat, nec famam adimat. Id vero neminem esse crediturum meus antagonista jactitat, egregio, scilicet argumento; quia, inquit, excommunicatio respondet ἀποσυρισμός, adeoque pœna realis est, non absimilis flagris & privationi alimentorum, quibus Augustinus ait suo tempore solitos plecti excommunicatos, sic ut horum excommunicatio maxima esset infamia. Ecce quo tandem miserum Alethocritum deduxerit contentio- nis studium, & impotens in Molinæum favor, qui, ne siluisse videretur, & sibi & magnifico suo præceptori turpiter obloquitur; dicit enim hoc loco mecum excommunicationem esse pœnam realem: & tamen paulo post ipse cum Molinæo credit, excommunicationem nihil aliud esse, quam *chimæram & terriculamentum avium*. (hæc enim ipsa sunt Molinæi verba.) Judicet hic lector candidus, qui chimæra co- hæerere possit cum ente reali, qui de unâ eademque re dici possit, quod sit chimæra, & tamen pariter reale quid.

Excommunicationem autem flagris & alimentorum privationi simi- lem esse, pulcherrimâ consequentia probat a Iversarius, quia scilicet Au- gustini tempore excommunicati flagris & alimentorum privatione pun- niti fuerunt. Omnes adeste logici, disputatores omnes, & huic dia- lecticorum principi assurgite, quem pro meritis excipere vix potestis; cum tam mirabilem adinvenit artem evidentissime demonstrandi positionum suarum veritatem, & herculea formet argumenta: excom- municati scilicet ita plecti solebant, inquit, ergo ipsa excommunicatio talis est pœna. Discas in posterum, Alethocrite, cautius subtiliusque tuos illaqueare lectores; Nullam sane pœnam civilem infamiæ, dam- ni, vel sensus infligit excommunicatio, nec infixit Augustini tempo- re, tametsi tunc excommunicatos tale passos fuisse supplicium bonâ fi- de forsan crediderim, cum id Alethocritus asseveret, qui & illud adde- re potuisset, ab Imperatoribus Romanis olim in exilium missos aut rele- gatos fuisse episcopos per concilia per synodos suâ functione privatos, ne vitæ vel doctrinæ turpitudine læderent ovile Christi. Sed quid hæc ad hodiernam excommunicationem de qua lis nobis? nec flagris hodie nec alimentorum ademtione nec exilio plectitur excommunicatus, nec etiam unquam eum ita puniendum esse celeberrimi Voetii vel reforma-

torum opinio fuit: non flagris non verberibus, non pœnis corporalibus illi censent adigendos ad fidem ad religionem ad cultum Dei mortales, sed per Mosen Prophetas & Apostolos in viâ veritatis instituendos esse. Quod si tamen ejusmodi supplicia vellent excommunicatis imponenda esse, non ideo ipsi, ut excommunicationem, sic pœnam civilem decernerent vi suâ potestatis, sed civilem implorarent principis & magistratum jurisdictionem, uti fit quotidie contra contumaces errorum propagatores & turbatores sacrorum.

Ne vero quicquam omitteret, quod meis in animadversionibus censurâ dignum crederat; cum statuissem, excommunicationem nulli infamiam irrogare, idque probassem; quia talibus adempta non est dicendi testimonii vel testamenti condendi facultas, quæ tamen infamiâ notatis est denegata, negat mihi bellus homuncio meus, infamibus hæc esse prohibita, *sed tantum*, inquit, *lenonibus & iis quorum profesio infamis est quosque perpetuâ comitatur infamia: at infamiâ notatus ad tempus ob crimen aliquod est extra infamiam, postquam legi satisfecit.* Quibus ut ordine respondeam, dico sufficere mihi potuisse, quod id concedatur in iis verum esse qui perpetuâ laborant infamiâ: sed cum mentionem fecerit adversarius notatorum ad tempus, sciat, me non invitum ipsi largiri, ea quæ ad tempus constituta sunt, proinde & infamiam ad tempus irrogatam eo tempore elapso cessare, & tunc ei, qui desit infamis esse, liberum quoque datum rerum suarum & testimonii dicendi arbitrium. Inde tamen inferri non potest, (uti inferre debuisset Alethocritus, si meam voluisset impugnare sententiam) etiam infamiâ adhuc durante ad testimonium dicendum aut condendum ultimum elogium admitti infamiâ notatum. Et si mihi non credat, infamiâ laborantem ea facere non posse; credet saltem, uti spero, viris clarissimis & jurisconsultissimis, qui omnibus infamiâ notatis adimunt juxta leges veritatis astringendæ facultatem: neque enim de lenonibus tantum loquitur Callistratus in l. 3. §. 5. D. de testibus, sed & de aliis, veluti de eo, qui ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepisse probatus & convictus fuerit, deque omnibus quorum vita infamis est: quid quod Justinianus disertis verbis voluerit *novell. 90. cap. 1.* bonæ opinionis & famæ, vitæque inculpabilis atque moderatæ testes esse debere, & omni carere derogatione: quâ tamen non carent qui ad tempus notati sunt, illo tempore pendente; ut proinde repellendi sint a testimonio dicendo, usque adeo ut nec infamis adversus alium infamem deponere cupiens audiendus sit. Et hoc jure receptum esse tradunt Baldus ad l. 1. Cod.

Cod. de summâ trinit. num. 5. Althusius dicitur. libr. 3. cap. 33. num. 5. & solide defendit Besoldus in delibatis juris libr. 1. quæst. 38. Wefembecius in paratitl. digestor. de his qui notantur infam. num. 8. Iis vero, qui testimonium perhibere vetantur, multo magis testamenti faciendi potestas est adempta, per consequens etiam infamiâ notatis: plus enim est ultimum elogium condere, quam de veritate testari, uti id docet Johannes Coppen observat. libr. 1. observatione 108. num. 9. At cui id quod minus est, non licet, non potest quod plus est licere. Everhardus in locis legalibus loco, a majori, in medio. Petrus Faber ad l. non debet. 21, D. de regulis juris, in medio. Tuam aut alterius adversus ista profer penum juridicam, & omnes excute jurisprudentiæ loculos, num forte quid invenire possis, quod inserviat desperatæ ac perditæ causæ tuæ, tibi que solatium præstet.

*Incipe si quæ animo virtus, & consere dextram,  
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem*

Rejeceram insuper disciplinam confœderatam, velut delirantium somnium cum nullo jure defendi posset; eo quod ecclesia potestatem suam ecclesiasticam haberet aut jure proprio aut a magistratu delegatam; si jure proprio, tunc eam non posse per magistratum auferri: si jure delegationis, tunc eam magistratui religionem mutanti eripi non posse. Quo dilemmate pressus Alethocritus, cernensque impositam sibi necessitatem alterutrum optandi, ne profus obmutesceret, quasi divinando ac sortiendo tandem in eam pronior visus est sententiam, quæ statuit, potestatem illam ecclesiæ non delegato sed proprio jure competere? Quo quidem responso mihi gratulor eatenus, quod discipulus relicta sui doctoris opinione, pariter oppressam ejus sententiam, & tot absurditatibus inde promanantibus sponte collabentem non erigat, sed captivam duci patiat: neque enim unquam id affirmavit Molinæus, quod facili negotio concessit hic Alethocritus, scilicet ecclesiæ jure proprio potestatem competere; verum is ita censuit, ecclesiasticam nempe potestatem ad magistratum pertinere, si quidem ille veram amplectatur religionem: si vero sequatur alium Dei cultum, tunc ecclesiam & ministros habere talem potestatem magistratus potestati analogam, quatenus assumpta est a cætu synodo aut ecclesiâ vel per mutuum consensum vel per disciplinam confœderatam. Et hanc inquam Molinæi sententiam ut fractam, perditam, eversam, ac prostratam deserit Alethocritus, quam proinde nolim huc iterum in scenam revocare, ne magis agitata virulento sœtore suo reformatam inficiat ac turbet ecclesiam, Sed

factam ab Alethocrito optionem pressius examinemus, cui religio fore videtur, si vel in minimo puncto cum Irenæo consentiret: etsi enim maluerit ecclesiasticam potestatem ecclesiæ jure proprio competere; censet nihilominus, eam magistratui subjectam ac subordinatam esse, eo præsertim motus argumento, quod maritalis & patria potestas (addamus & tutoriam, cum eam postmodum hisce jungat) jure proprio, non delegato, patri maritoque competat; ea tamen ipsa regi subjecta sit. Cumque id in animadversionibus negassem, & maritalem, patriam tutoriam potestatem docuisssem magistratui non esse subordinatam quâ talem; maritum tamen patrem tutorem qua civem magistratui subesse: id adeo crudum insulsum ac falsum visum est Alethocrito, cujus

*Iam face suppositâ fervescit sanguis, & irâ  
Scintillant oculi,*

ut existimaverit, *illud tyronis inscitiam prodere, qui vix prima divini & humani juris elementa didicisset.* quia videlicet maritalis & patria potestas non minus habet vindicem magistratum quam decalogus, cuius jus tam est cultus, quam maritalis & paternæ, ut hujus sit officium & his & illi figere leges, & curare ut legi divinæ decalogi, tum potestati paternæ & maritali sua constet autoritas. Et hoc argumento se magna præstitisse putat, jamque Irenæum proprio jugulatum jacere gladio; qui tamen hæc omnia, quæ de potestate magistratus asserit Alethocritus, sano sensu accepta sponte ei concedit: revera namque Christiani magistratus sunt utriusque tabulæ custodes, pœnisque corporalibus & multis per leges expressis curare tenentur, ut verbo Dei, potestati maritali & patriæ sua constet autoritas, ut ordine legitimo ac rite decentique modo sine turbis, sine vi, sine confusione cuncta in ecclesiis in familiis peragantur; atque ita vere magistratus ipsos dicere possumus juxta Constantini mentem *ab extra vel extrinsecus episcopos.* Non tamen inde conficitur illud, quod Alethocritus probandum assumerat, ecclesiasticam nempe, patriam, maritalem potestatem quâ talem magistratui subordinatam esse, aut a maritali, patriâ ecclesiasticâ potestate dandam esse provocationem ad magistratum. At, inquires, magistratus coercerent patrem maritum in uxorem, in liberos nimium sævientem. Resp. coercerent illi non ipsam potestatem, nec coercendo maritos aut parentes, eam sibi vindicant aut exercent; sed tantum reprimunt delicta civilia, quæ circa potestatem illam exercendam extrinsecus commissa sunt; idemque jus in ecclesiasticas personas magistratui competere, negare nolim, ut scilicet eos in delicta civilia incidentes, dum pote-

potestatis suæ limites excedunt, pœnis civilibus coërceat. neque enim maritalis aut ecclesiastica potestas sese ad civilia delicta protendit, nec ullus ex reformatis, non utique Voetius aut Vogelfangius unquam negavit omnia civilia negotia & delicta sive maritorum sive pastorum ad solius magistratus tribunal esse vocanda, sed tunc eas non quâ pastores quâ maritos, at potius quâ cives impios sceleratos ac contumaces puniendos esse notum est. Atque ita ex adductis exemplis demonstrabam in uno populo duas sine collisione stare posse potestates toto genere discrepantes; quod quidem inficias ire non videtur Alethocritus, sed tantum negat ecclesiasticam & civilem potestatem esse diversæ naturæ. Verum cum id ante satis in animadversionibus demonstraverim, dum alteram a regno spirituali Christi dependere docui, alteram regibus & magistratibus competere, actum non agam; præsertim quia adversarium suæ negationi non firmiter inhærere video, sed dubium & animi pendentem hæc illico subungere pag. 12. *si ecclesiastica & civilis potestas sint diversæ naturæ, non distinctius a se invicem disita sunt, quam, ut ipse fatetur, maritalis & tutoria naturâ discrepat a potestate summi magistratus.* Quamvis hic mihi satis esse posset, quod potestas ecclesiastica æque ac patria maritalis tutoria differat a potestate magistratus; cum adstruxerim, eas quâ tales magistratui non esse subordinatas: splendidum tamen Alethocriti mendacium, quo dicit me fateri, ecclesiasticam non magis quam maritalem &c. a civili potestate distare, intactum transmitti non debere celsui; id enim si uspiam a me dictum aut concessum esse docuerit, magnus mihi fururus est Apollo. Verum usque sic existimavi; si maritalis patria tutoria potestas non sit subordinata magistratui, multo minus id de ecclesiasticâ dici posse; quippe quæ magis a civili distat quam maritalis quam patria quam tutoria: ad exemplum enim magistratum etiam maritus pater tutor aliqualem habent civilem coërcitionem; pastores vero solis utuntur armis spiritualibus, proinde magis quoque potestas eorum distat a civili potestate magistratus.

Pag. 12. Alethocritus ait pari falsitate laborare, quod dixerim, non id omne, quod est in Republicâ, magistratus jurisdictioni subesse, nec ecclesiam imperio magistratus esse subjectam. Nec tamen interim sub junctum legati exemplum, unde mea liquido probabatur positio, vel verbo uno attigit: ea ipsa nihilominus, quæ falsissima esse asseruit, vera esse pariter concedit, si per ecclesiam intelligere velim pastores quâ pastores & fidelium cœtum. sic sibi Suffenus pro lubitu fingit ad-  
versarios



versarios quos in ideâ suâ debellet: neque enim unquam aliud intendi; nec etiamnum intendo, quam pastores quâ tales non esse magistratus imperio subiectos; si vero quâ cives considerentur, nullam inter pastores & alios urbium incolas esse differentiam, sed omnes equali jure principum jurisdictioni subesse, juxta caput 13. epist. Pauli ad Romanos. Quemadmodum vice versa magistratus quâ tales neutiâquam ecclesiasticâ subsunt potestati, sed tantum quâ Christiani quâ cives imperii cœlestis Christi mediatoris; sic ut falsum sit, quod hic Alethocritus asserit, ipsum nempe magistratus imperium subiectum esse regno Christi, si modo non ludat in terminis, quod ei non insuetum est, ut constri- ctus adhuc elabi posset: nam si per Regnum Christi velit designare regnum Dei, maximus quidem esset verborum abusus & impropria lo- cutio; licet eo sensu verum sit, Deo non minus Christi mediatoris re- gnum quam terreni magistratus potestatem subesse: si vero per Chri- sti regnum denotare velit illud, cujus Christus quâ mediator caput est, nunquam evincet, ei magistratum quâ talem aut regnum ejus, sed tantum quâ Christianum esse subditum.

Quod vero subjungit adversarius, nec medicos nec geometras, nec fabros qua tales subijci magistratus imperio, sed duntaxat quâ libera sunt capita, si quicquam aliud, id sane in Reges ac principes injurium est: vi namque potestatis suâ a Deo sibi concessâ magistratus, si velit, non de facto tantum sed & de jure potest impedire ac destruere medicorum, fabrorum &c. conventus ac collegia; quâ cum intacta relinquat Alethocritus, suam interim vel præceptoris sui Molinæi, cantilenam cuculi more toties repetat, etiam ab Irenæi scopo ac agitâtâ inter Moli- næum & ipsum controversiâ recedat & extra oleas vagetur, nec videatur admodum sedulo sui præceptoris vestigia pressisse, ut pote cujus fe- re placita & giganteos ac chimæricos conceptus ignorat, non aliud su- perest quam ut hominem somniis & delirationibus abreptum sibi re- linquam, donec vel somnum penitus excusserit, vel suis in stricturis ostenderit expurgatum ludicris ejusmodi nugis ingenium.

Cæterum pastoribus quâ talibus competere regimen ecclesiasticum, jus excommunicandi, censurâ notandi improbos ac contumaces præ- ceptorum divinatorum violatores, idque judicio non dependente a ma- gistratu, vel inde manifestum est, quod Paulus Apostolus 1 Corinth. 5<sup>o</sup> vers. 3. 4. scribat non magistratui sed Corinthi fidelibus *in nomine domini congregatis cum potestate domini nostri Jesu Christi*. At quânam illa potestas? *ut scilicet*, inquit, *ejusmodi homo* (scortator nefandus) *sa-*



*rana tradatur ad exitium carnis — & tollatur e medio cœtus, qui facinus hoc patravit.* Quid quæso aliud ibi per potestatem designabitur, quam regimen ecclesiasticum & coercitio atque jurisdictio spiritualis? quæ a domino nostro Jesu Christo pastoribus, ducibus præfectis ecclesiæ (sic enim eos appellat sacer codex) concessa est: & nihilominus Alethocritus pag. 13. perfractè negat, inde probari posse, excommunicationem esse faciendam a pastoribus judicio independentè a magistratu. Quod sane sicci ac spongiosi cerebri hominem arguit; qui enim obsecro potuit illic a magistratus arbitrio dependere pastorum judicium, cum omnes vel Judæi vel idololatræ essent populorum principes, quorum plerique summis tormentis ac cruciatibus persequabantur ovile Christi, maximisque viribus evertabant ecclesiam: adeoque tantum abest ut illi juvissent aut approbassent ecclesiasticam potestatem, ut potius omnia turbaturi ac destructuri fuissent fidelium decreta, censuras, & excommunicationes. Sanius profecto Molinæi commentum est, a quo iterum hic secessum fecit defensor: is enim tum demum judicium pastorum a magistratu dependere censet, cum eandem religionem magistratus amplectitur; alioquin ministros habere potestatem absolutam potestati magistratus analogam, quatenus assumpta est a cœtu synodo aut ecclesiâ vel per mutuum consensum vel per disciplinam confœderatam. Et: hinc denuo constat evidentissime Alethocritum ignorare, quibus in rebus egeat defensione Molinæus, qui tamen adeo in præfatione hunc suum extollit pattonum, velut Deum tutelarem, cui uni debeat sui libri salutem & incolumitatem; cum contra prudentius acturum fuisse Molinæum judicent viri docti, si discipulum suum suaviter sibi placentem monuisset, neque tempus neque causam iltis egere defensoribus, & a patrocinio depulisset Alethocritum io pœcan canentem, dum nil præter nugas apportat, & præceptoris sui causam sic protritram omnibus deridendam exponit. Satius utique Molinæo fuisset si quemvis alium conduxisset ex bambalionum grege, qui ad coronam in triviis elegidia cantant, quam ridiculum hunc defensore: talis enim blateronis extemporaneæ nugæ venales procul dubio digniores fuissent quam hæ *Christiani* stricturæ.

Adduxeram quoque locum Matthei 16. vers. 19. ex quo sole meridiano clarius me probasse credideram, excommunicandi potestatem non magistratui sed pastoribus datam esse; *tibi dabo claves regni cœlorum, inquit ibi Christus, & quicquid ligaveris in terrâ erit ligatum in cœlo, & quicquid solveris in terris, solutum erit in cœlo.* nullus dubitans quin hisce

verbis excommunicationem Christus designaret, sed proh dolor!

*Res memoranda novis annalibus atque recenti*

*Historiâ*

video scilicet, toto me aberrasse cœlo cum omnibus quotquot hæctenus reperi potuerunt reformatis scriptoribus; cum Alethocrito visum fuerit alium huic textui sensum attribuere: negat enim generose, de excommunicatione illic tractari, addita quidem ratione sed profus infelice, quod nempe tunc statuere deberemus, omnia pastorum judicia esse infallibilia etiam in synodis; sed quo id argumento probaturus sit, hæctenus percipere non potui: quotiescunque enim iure suâ pastores utuntur potestate, toties etiam quicquid in terrâ ligaverint, in cœlo ligatum erit & quicquid in terrâ solverint, in cœlo solutum erit, & in omni ligatione vel solutione tacitè hæc subintelligitur conditio: quod si vero eveniat, ut vel errore vel aliter decepti pastores in infantem ecclesiasticas dirigant censuras, (id enim fieri posse, palam est) tunc nullarum virium apud Deum futura est ejusmodi excommunicatio, ut pote non secundum, sed contra vel præter Dei mandatum facta.

„ Illud autem præ cæteris viro displicet, quod in causis ecclesiasticis  
 „ sententiæ numerentur, non ponderentur, & vis ac autoritas accrescat  
 „ decretis non ab eorum justitiâ bonitate & veritate, sed a majõri nu-  
 „ mero, qui nec semper justus nec verus est: eoque quassatos a Molinæo ac verberatos censet ad ruinam usque potestatis ecclesiasticæ mu-  
 „ ros, me tamen ea vix attigisse in animadversionibus; quasi vero tantæ  
 „ molis esset hos Molinæanorum arietum ictus repellere, quos etiam le-  
 „ vi brachio facile retudi: enim vero vel cœcum fuisse Alethocritum, aut  
 „ vigilantem somniasse necesse est; quod non viderit, quid Molinæo  
 „ regesserim: cum enim improbasset ille quod in Voetianâ potestate de-  
 „ creta fierent a majore numero decernentium; quæsiivi ex eo, an non  
 „ eadem remansura foret difficultas si potestas illa penes magistratum re-  
 „ sideret: cui nihil penitus respondet defensor, sed identidem carpit in  
 „ ecclesiis non ponderari sed numerari suffragia. Verum cum usitatum  
 „ hæctenus decidendi modum contempnas ac despicias, Alethocritè, no-  
 „ vam obsecro ac commodam nobis exhibe methodum ecclesiasticas di-  
 „ rimendi controversias; novam effinge tribunalium ecclesiasticorum for-  
 „ mam hæctenus omnibus ignotam sapientibus; evigila, si forsan eam in  
 „ ideâ Platonis invenire possis (neque enim in sacris literis, unicâ refor-  
 „ matorum regulâ, occurrit) tibi que author ero, ut cum Plautino The-  
 „ rapontigono Platagidoro des in æde Mnemosynes

— *Statuam auream,*

*Soldam faciendam ex auro Philippæo, quæ fiet  
Septempedalis factis monumentum tuis.*

Quod enim eam atinet opinionem, quæ ponderandas esse sententias statuit, quamque tu desideras introductam; tot inde prodirent exitiosæ Reipublicæ & ecclesiæ calamitates, ut utraque brevi subversa ac innumeris ruinis deformata conspiceretur. Audi quid tui simili a quo non magis distas quam ovum ab ovo; audi, quid de suffragiis ponderandis, non numerandis, responderit vir quidam doctissimus (neque enim integra ejus verba, licet prolixiora, meis inferi quisquam ægre feret.) *si pro sententiarum pondere, non numero, decreta fierent,* inquit ille, *nullus unquam esset litium finis, & quæ ad dirimenda partium divortia remedia inventa sunt, ex iis nova discordiarum semina nascerentur: nam utrum hæc pars potior an illa, an unius sententia quam alterius castigatior, nonne dubium esse potest & incertum? ais tu, partem tibi amicam meliorem esse & magis sinceram, tibi id pernegat adversarius; judicandum ergo de obscurâ & latenti æquitate, & iudices ipsi in forum vocandi, submittendi aliorum tribunalibus qui tribunalia nuper impleverant; inquirendum, quæ pars in iis melior, quæ incorruptior: sic ex unâ liteculâ tumulus & tempestas orbis universi.* Has viri clarissimi rationes, si potis es, dissolve, teque tuumque hoc in discrimine serva Molinæum, ac cura cum Pyrgopolynice milite glorioso, antequam iterum in certamen descendas,

*Ut splendor tuo sit clypeo clarior,*

*Quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent;*

*Ut, ubi usus veniat, contra consertâ manu*

*Oculorum perstringat aciem in acie hostibus.*

Non enim aliâ viâ triumphus patebit, nisi forsâ genio tuo indulgens nova velis monstra fingere quæ domes, & terribiles excogitare Chimæras debellandas in campis Gurgustidoniis; ubi Bombomachides Clynistatidifarchides foret iuperator summus: ejus quippe legiones si spiritu distaveris, sicuti ventus folia aut peniculum textorium, ut Plautus iuquit, honorem illum equidem tibi non invidebo.

Tandem ad Isidori locum devolvitur Alethocritus, & eâdem manâ vim ejus urget, quâ Molinæus crediderat omnia seniorum ac ministrorum officia inde deduci posse, quamvis nihil penitus eorum illic occurrat. Et primo quidem os illud impudens gloriatur me nihil opposuisse loco Isidori. Sane cum ad Isidori tribunal tanquam ad extremam salutis

C 2

anchoram

*invenitur hic locus in corpore canon. caus. 23. quæst. 5. cap. 20.*

anchoram Molinæus confugeret; ex communi loquendi usu locum illum interpretatus sum, ut & Constantini dictum, hunc scilicet illorum esse sensum; quod princeps contumaces hæresios propagatores, ut & alios excommunicatos ac violentos sacrorum turbatores pœnis civilibus coërceat, & ab injuriis defendat ecclesiam: quamvis alioquin non tantum tribuendum esse censeam cujusquam auctoritati, ut orthodoxiæ vel rationi velim adversari. Et ne mihi soli videar arrogasse hanc Isidori interpretationem, audi, si vacet, quid in glossis ad hunc locum occurrat: sic illa; *dicitur in hoc capite, principes seculi ad hoc sunt instituti, ut ecclesiasticam disciplinam defendant, ut quos sacerdotalis sermo non corrigit, coërceat secularis potestas; de quo, si non fecerint principes, apud Deum reddentur sunt rationes.* Quæ quamvis Molinæi vel tuo palato parum placitura non dubitem; non tamen sufficientes video rationes, cur non eandem & majorem glossæ quam Molinæo Isidorum explicanti tribuam auctoritatem; neque dubito quin quanto magis quantoque accuratius viri docti perverderint Isidori sermonem, tanto quoque minus oculatum aut veracem fuisse Molinæum in eo enucleando ac enodando judicaturi sint; præsertim cum post Molinæum Alethocritus existimet, inferri & exsculpi inde posse, nullum senioribus nostratibus relinqui locum, nec ipsorum functionem ecclesiasticam sed civilem esse, nec unquam Christum aut Apostolos instituisse seniores, nisi qui verbo & orationi æque ac ecclesiarum regimini vacarent. Lepidus scilicet homo meus rationem aliarum adminiculo destitutus, ad simplicem ut plurimum recurrit eorum inficiationem, quæ dudum clarissime sunt demonstrata, ut hoc pacto rejiciens onus probandi in adversarium, ingens ei negotium facessat: quod etsi non ignoret indignum profus esse viro doctrinam profitenti, multoque magis Molinæi discipulo, viro scilicet, si credere fas est, cujus animus ad sublimia quæque natus iis solis acquiescere consuevit, quorum magnitudo vix ipso cælo caperetur. Quia tamen sub Alethocriti nomine se delitescere posse speravit, parum de disputandi methodo fuit sollicitus, si modo molestiam Irenæo crearet. Verum age, quæ ducis, Alethocrite, non inviti sequamur: licet enim in serpentem, in taurum, ad instar Acheloi te transformaveris aut in omnia te transmutaveris rerum miracula, non tamen effugies: namque, ne elabaris, firmum injiciam tibi contextum ex verbo Dei laqueum, ut olim Proteo fecit Ulißes. Negas tu, seniores orationi operam non dantes ex instituto divino originem traxisse: ego contra ut id probem, adduxi locum Pauli 1 Timoth. 5. vers. 17. atque etiamnum ut firmissimum adversus quoscumque malignos scri-

scripturæ sacræ corruptores in plenissimâ luce pertinaciter cœcutientes adduco: sic enim ibi Apostolus; *qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime illi qui in sermone & doctrinâ laborarunt.* Duplicium hic presbyterorum mentionem facit Paulus, dum primo dicit, eos quidem, qui bene præsunt, duplici honore dignos habendos esse; quales sunt qui non laborant in sermone & doctrinâ: præ cæteris vero illos vult honore colendos, qui laborarunt insuper in oratione & doctrinâ. Qui quæso solidius, qui clarius aut distinctus suam Apostolus mentem potuisset exprimere: si enim unius tantum generis essent presbyteri, frustra subjuncta fuissent illa verba; *maximè illi qui in sermone & doctrinâ laborarunt.* Oculos hic fungus noster aperiat, aut adeat Acidalum Campaniæ fontem, quo suis ægris medeatur oculis, & procul dubio sacræ scripturæ lucem intueri poterit ac venerabitur.

Porro concoquere nequit pag. 14. quod negaverim, ad magistratus officium pertinere curam ecclesiæ: sed si fraudulentè ac dolo malo mutilam ac truncam sui parte meam proferens sententiam putidissimum mihi non affinxisset mendacium, stomacho forte magis vegeto fuisset usus. Dixi magistratum quâ talem officio suo satisfacere, si modo rite seduloque curet Reipublicæ tranquillitatem; etiamsi tanquam Christianus omni ope summiisque viribus anniti teneatur, ut promoveatur regnum Christi, & satanæ potentia deprimatur ac exterminetur; illudque docui exemplis Turcici & Romani imperii, quod nec principes Romani gentiles, nec magni Turcarum domini defuerint imperatorio muneri, cum non curarent Christianum Dei cultum: defuerint tamen officio Christiani. Neque quicquam his opponit adversarius, nisi quasdam autoritates, quibus principes nonnulli fatentur & asserunt, se præcipuam religionis curam gerere; ad quam eos quâ Christianos ante omnia obstrictos esse toties inculcavi: non quâ principes, quâ magistratus. Nec hæc nova vel inaudita est doctrina; statuerat hoc ante me celeberrimus Voetius; negat id hic de Voetio Alethocritus; Voetio vero id exprobrat & blasphemum in reges esse dogma Molinæus asserit pag. 85. En iterum specimen eximium arctissimæ Molinæi cum suo defensore concordiæ: adeo difficile est duos in eundem errorem unanimi conspiratione dementiæ præcipitari; utinam prius Alethocritus accuratius addidisset Molinæi placita, quidque in Ultrajectino papâ contineretur sedulius inquisivisset, quam huic magnificæ causæ sese destinasset patronum: aut utinam hæc stricturas approbando atque ita suas faciendo, dum in præfatione suam iis accommodaret autoritatem,

Molinæus non adeo turpiter à Molinæo diffideret! meliorem forsan fautores ejus ac amici successum sperare potuissent. Cum vero nunc imperium, ut ita dicam, inter se divisum sit, nec ipsis ducibus inter se conveniat, nil nisi præsentem ruinam & exitium expectare possunt: sic enim argumento prorsus infallibili contra maleferiatos Christus ratiocinatur Matthei cap. 12. vers. 25. *omne, inquit, regnum disfidens adversus sese vastatur, & omnis urbs aut domus disfidens adversus se ipsam non stabit: sed si satanas satanam ejicit, adversus se ipsum disidet! quomodo ergo stabit regnum ejus?*

Duo meis in animadversionibus supersunt, quæ displicent Alethocrito primum est, quod, cum horrendo rictu Molinæus exclamasset; „fateatur hic Voetius se victum, detque gloriam Deo aut obmutescat, non „nisi jocis ac risu responderim. Alterum, quod non attigerim, quod „dixerat Molinæus, non melius refelli myriadem distinctionum, mo- „dorum, & divisionum, quibus ecclesiastica jurisdictione commendatur, „quam partem eorum enumerando. Efficiam tamen quantum poter- „to, ut in his placeam viris doctis ac piis, quibus hætenus placere studui. Cum enim omnes ordine profligassem Molinæi positiones, quibus ille jam turgidus ac velut metuente sublimior talem subjunxerat ad celeberrimum Voetium adhortationem; cumque nominatione vel enumeratione solâ refelli posse Voetii distinctiones sibi persuaderet, neque quicquam aliud opulentius iis opponeret; non alias mihi partes superesse credidi, quam ut intempestivum ac stolidum lascivientis ovatoris gaudium parumper ludicro sermone riderem: animadvertēbam enim hominem insaniam manifestissimam lævientem ac ventis rumpentem pulmones tantopere sibi adblandiri, ut non contentus vulgari doctorum titulo, se Dixippum Atheniensem appellari voluerit, eo quod prorsus inermis cum Voetio myriade distinctionum munito concurrere paratus esset; etiamsi misellum animal interim paria cum Voetio pacifceretur arma, dum præmoneret, non aliud teli genus, non alias distinctiones se admissurum esse præter eam quâ potestas in internam & externam dividitur. Non aliud, ut verum fatear, nunc expectaveram, quam ut ipse sibi cum Admeto poetâ post mortem scribi curasset ejusmodi epitaphium mutato tantum nomine;

*Terra cape admeti spoliū, nam jam*

*Deus ipse est*

Cæterum bonus hic dux Molinæus bonum effecit comitem Alethocritum tam patienti præceptoris sui dementiæ patrocinantem: eodem enim  
insaniæ



infantiæ potu deimentatus eadem quæ Molinæus ante ingenti supercilio, eeu ex abditissimis Musarum ac doctrinæ penetralibus, in medium adduxerat, ac si non satis intellecta forent, fufius deducit. Vatem Molinæus egerat, dum prædiceret Voetium distinctionum ac divisionum grandinem esse repositurum; hic augur est Alethocritus; dum brevi collapsuram auguratur potestatem ecclesiasticam, non vano, si quæ vaticiniis ejusmodi fides, augurio. Cum itaque pari morbo laboret defensor, non tutius certiusque remedium suppetere censeo, quam si ipsi consulam, ut quam primum ea, quæ Molinæo ante regeffi, sibi quoque scripta credat, & ea sedulo summâque cum attentione sapienscule relegat, ut ita tandem ad se revertatur. Uti enim illi, quibus phalangii morsus amentiam attulit, non aliter rationis usum recuperare queunt, quam si musico cantu mulceantur ipsorum animi; sic quoque non aliâ methodo pelli posse puto doctum Molinæi vel Alethocriti furor, quam dulci jocorum modulatione suavique ludorum ac facetiarum harmoniâ.

Atque ita paucis meas in libertatem vindicavi animadversiones, quatenus cas atro carbone notare voluit Alethocritus, cui visum fuit superaddere justa repetitione differentias Voetianæ ac Molinæanæ potestatis, quasi non abunde & ad nauseam usque suis in stricturis eas lectoribus exhibuisset. Rectè tamen eum ac prudenter alii fecisse censent cum hoc pacto videatur ad amissim observasse præstantium oratorum leges: repetitio namque figura rethorica est, quæ Alethocrito non fuit omittenda, ne forsitan alioquin oblivioni tradantur aureæ scilicet ac plane æternitati conservandæ Molinæi legendæ. Sed si vel centies earum velit instituire repetitionem, per me licebit, nec hisce refragabor elegantiss, dummodo noverit in ipsâ animadversionum assertatione satis esse refutatam, quicquid in Molinæi potestate laudat.

Tandem etiam ad majorem suarum stricturarum elucidationem subjicit potestatis tam internæ quam externæ Molinæanæ diagramma, quod quidem summam producere potuisset in animis eruditorum admirationem, si quidem aut verbo Dei non repugnaret, aut in desuetudinem abiisset sacra Pagina. Et certè, si more Molinæi procedere liceret in rebus sacris, si fas esset ea negligere vel contemnere quæ Christus præcepit, & ecclesiæ regimen velut præposterè a Christo ab Apostolis constitutum ad vanissimi cerebri ideam revocare, quasi meliora promi possent dogmata, regulæ certiores, quot non somnia vendibilibus ac speciosis plebi argumentis allatis excogitarent mortalium stolidissimi  
ad.

ad ostentandum subtile ac defæcatum, si diis placet, ingenium: quot non superstitiones fabricarentur! imo novus plane ac prædecessoribus non intellectus Dei cultus, isque longè facilior & minoribus obnoxius molestiis adinveniri facile posset: plurimos enim procul dubio præter Molinæum offenderes, qui emendicato rationis humanæ & figmento- rum præsidio adversus Scripturæ sacræ militarent auctoritatem. Nunc autem cum ad solius sacri codicis normam instituendum sit omne regi- men ecclesiasticum, si quidem aspernari nolumus Christiani nomen; parum curandum est hoc potestatis Molinæanæ diagramma, quod nul- lo sacræ scripturæ textu probatur nullis fulcitur Christi præceptis, nul- lis defenditur institutis Apostolorum, sed merum Molinæani cerebri somnium ac figmentum est, cui fides non adhibenda, donec ex sacrâ paginâ veritas ejus demonstrata fuerit; non magis quam antiqui credi- derunt regiam esse solis, etiamsi illa longe clarius ac distinctius ab Ovi- dio depicta foret, quam nunc a Molinæi defensore delineata fuit hæc duplicis illius potestatis chimæra; quæ si reformatis in ecclesiis admit- teretur, non aliud superesset agendum, quam ut de novo templa exstru- erentur, in quibus non insignia Christi, sed Molinæani fastus idola penderent.

F I N I S.